Quod si sacerdotalis fuerit inquid ista domus uel leuitica, ubicumque fuerit siue in ciui
tate siue in agro semper habet redemptionem. In hoc loco sacerdotalem sensum et le
uiticam intellegentiam quero. Non enim inferior esse debet auditor horum si fieri
potest illo ipso qui haec scripsit et sanxit. Quid est ergo quod sacerdos et leuita
domus suae semper habent redemptionem et ubicumque fuerit habet redemptionem.
secundum spiritalem intellegentiam. Sacerdos mens deo consecrata dicitur.
et leuita dicitur his qui indesinenter adsistit deo et uoluntati eius ministrat. Per
fectio ergo in intellectu et opere in fide et actibus sacerdos et leuita accipiendus
est. Huic itaque perfectae menti succederit aliquando domum quam habet non
manufactam aeternam in caelis uendere et in manus alterius dare, sicut contigit
aliquando magno patriarche dauid cum de tecto suo uriae chetei aspexisset uxo
rem statim eam redimit, statim reparat. Statim enim dicit peccaui. Immo uero
aliquid adhuc sublimius in hoc sensu debemus inspicere, quomodo domus
sacerdotum et leuitarum id est perfectarum mentium semper delicta redimantur semper
que purgentur. Si quando scripturas diuinas legimus et sanctorum patrum in
his delicta aliqua recensemus, si secundum apostoli pauli sententiam dici
mus quia haec omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter
commonitionitionem nostram. hoc modo semper domus eorum redemitur, quia
semper pro culpis eorum purgatio et satisfactio a doctoribus adhibetur
ostendentibus et diuinis scripturis formas fuisse haec et imagines rerum
futurarum non quibus arguerentur delicta sanctorum [illegible] quae con
cisse. Numquam ergo sacerdotalis possessio a sacerdote separatur, etiam
si ad tempus fuerit ablata etiam si fuerit distracta semper redimitur semper
reparatur uelut si diceret caritas quae perfecta est omnia patitur omnia spe
rat omnia tolerat. caritas numquam cadit. Si ergo et possessio ac domus sacer
numquam cadit numquam aufertur numquam a se eorum iure separatur. Quomodo
enim separari a sacerdotibus potest domus quae edificata est supra funda
mentum apostolorum et prophetarum in qua est ipse angularis lapis ihesus christus.
Quod autem possit aliquando domus ista distrahi, hoc est huiusmodi edifi
catio incidere peccatum. Audi apostolus paulus quomodo de talibus dicit.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0548